

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0764

0762

0768

0758

0773

0753

0813

0713

0863

0663

0263

Ende

Anfang

191

sumus ad montem Syon. Cum venissemus, intelleximus, peregrinos non intromittendos in ecclesiam S. sepulchri, et dolui, quod non ad duos vel tres dies foras in Bethlehem mansi.

Decima septima die, quae fuit dominica XII. p. Trinit. infra octavas assumtionis, habui desiderium celebrandi Missam in loco defunctionis beatissimae Virginis Mariae, et eportavi omnia paramenta ad locum, et altare paravi cum fratre mihi ministraturo. Dum autem stare sub divo in altari, cecidit ros abundans et infudit corporale, et humectata sunt palle et liber, et hostia sacramenti adeo liquefacta fuit, sicut pasta non cocta, ita quod elevare eam nequaquam potui, nec manibus eam, ut ritus habet, tradere, et fui in magna augustia in illa Missa. In illis enim terris raro pluit, et coelum, praesertim aestivo tempore, serenum existit, sed semper in solis ortu abundantiter rorant coeli desuper, et hac infusione conservatur viror terrae. Post prandium convenerunt peregrini ad tractandum de nostra peregrinatione per desertum.

Decima octava die ante solis ortum ad fontem Siloae descendii. Audivi autem intus juxta gurgitem tumultuantes Sarracenos, cerdones vel fullones, et diverti a fonte sancto, nec ingredi praesumsi, faciem tamen et oculos lavi in ripa defluenti, et deorsum usque in medium torrentis Cedron descendii, per ejus siccum alveum et asperum adscendi usque ad ecclesiam sepulchri et assumptionis b. Virginis Mariae, quam aper tam reperi, et gavisus fui. Descendi ergo per gradus in ecclesiam et eam repletam graecis Christianis inveni, qui illo die ibi divina celebrabant, et laudes b. Mariae concinebant, ad quorum Officium steti, considerans ritum et mores eorum. Deinde ascendi de ecclesia, et specum agonizationis Domini nostri Jesu Christi (252 A) intravi, in quo inveni chorum Armenorum, divina ibi celebrantes et suis dissonis cantibus Deum laudantes, cum quibus mansi ad spatium parvi temporis, et eorum modum in divinis admiratus fui. De specu demum egressus in Galilaeam ascendi et inde in jugo montis Oliveti ad ecclesiam ascensionis Domini perveni, in quam ingressus chorum Jacobitarum in ea reperi, Deum suis modulis, mihi insolitis, laudantes. Sed et Abessini vel Indiani, supervenientur, ut sua Officia perficerent. Exspectabant etiam ibi

